

## C A P. VI.

D E

## FINE ET EFFECTIBVS.

## §. I.

**F**inis huius remedii vel *Generalis* est vel *Specialis*: *Generalis* est quatenus respectu Legislatorum siue Imperatoris et Statuum Imperii consideratur: Vt nimirum Iudex et Assesores Camerae Imperialis in cognoscendis actis et diiudicandis controuersis eo maiorem adhiberent diligentiam, si verendum pertimescendumque ipsis foret, ne acta post sententias latas reuiderentur. *Ord. Cam. p. 3. tit. 53. §. 1.* Damit auch Cammer = Richter und Beysitzer desto fleißiger seyn, so sie besorgen müssen &c.

## §. II.

*Specialis* est quatenus iniquitas sententiae, quae culpa iudicum lata est, hoc remedio corrigitur et in melius reformatur *arg. l. 1. ff. de Appell. et relat.* Cum enim non solum Camerae pudor hic versetur. *arg. l. 26. ff. de procurat.* quando scilicet iudex et Assesores culpae arguuntur. *arg. l. 11. ff. de recept. arbitr.* sed etiam partis maxime intersit, ne culpa iudicum iusta causa cadat, vtrique Imperator et Status Imperii occurrere et Iudices quidem Camerales hoc remedio ad exactiorem diligentiam incitare, victis autem, si qua praeter spem sententia Cameralis culpa aut errore lata fuerit, iustum aduersus istiusmodi sententiam adminiculum suppeditare voluerunt.

## §. III.

*Effectus* huius remedii semper quidem est *Deuolutiuus*, pro qualitate tamen causarum quandoque etiam *Suspensiuus*. Et an Executio intentato hoc remedio suspendatur, grauissimorum Iudiciorum iam olim peranceps quaestio fuit, affirmantibus aliis, aliis negantibus. Negantium partes sustinuisse visi sunt MENOCHIVS *conf. 992. n. fin.* vbi alios in hanc sententiam

F 2

adduxit.